

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Gravius Johannes Urbanus

**Carmina Gratvlatoria. In Festivitatem Nvptialem Ornatissimi Viri ... M. Iacobi Simonis, Rectoris Scholæ Smalcaldensis fidelissimi: Et castissimæ virginis Mariae, Grauissimi viri D. Antonij Steitzij, Quæstoris Hennenbergensis apud Smalcaldenses, filiæ**

Smalcaldiae: Michael Schmuck imprimebat, 1582

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775706753>

Druck Freier  Zugang



Bb

B.

N. Spencerius.

L1



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1775706753/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775706753/phys_0001)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1775706753/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775706753/phys_0002)

CARMINA GRATV  
LATORIA.

INFESTIVITAT<sup>E</sup>  
TEM NVPTIALEM OR-  
NATISSIMI VIRI ERVDITIO-  
ne & virtute præstantis M. IACOBI  
SIMONIS, Rectoris Scholæ Smal-  
caldensis fidelissimi: Et castissimæ vir-  
ginis MARIAE, grauissimi viri D.

Antonij Steitzij, Quæstoris  
Hennenbergensis apud  
Smalcaldenses,  
filiæ.


SCRIPTA

A

M. CHRISTIANO GRA-  
VIO F. ALLENDORPHEN-  
SI, CORRECTORE SCHOLÆ SMAL-  
caldensis, Et Iohanne Urbani Ornshusa-  
no eiusdem Collega.

S M A L C A L D I A E  
Michael Schmuck  
imprimebat, 1582,

FP Svercerus, Nicolai 12



**N**Vlla' ne prob uestrum tangit miseratio pectus  
Parcæ crudeles, iuidiosa cohors?  
Nulla' ne te pietas, pretium nec permoret ullum  
Stamina ne rumpas de tribus una soror?  
Tot iuuenes reuocas sub leges atq; puellas,  
Quæis placuit sacro subdere colla iugo.  
Cur non inuisis Papam rasamq; cateruam  
Qui thalamos carpunt dæmone patre sati?  
Perde magis reprobos, qui spernunt dogmata uerbi  
Et qui blasphemant nomina sancta DEI.  
Ab tua peruersa est nimis hæc & auara uoluntas  
Quæ sine delectu mox bona quæq; rapis.  
Posset id exemplis multis uerisq; doceri,  
Sed mihi alijs hoc mihi sufficiat:  
Margaridi uiridi quod stamina rumpis in æuo,  
Quæ fuit eximijs nobilitata bonis.  
Exuuias recipit tantum exanimis humus alma  
Spiritus aet summi tendit ad astra poli.  
Quare doce pias lachrymas cohibeto Magister,  
Nec gemitus acres ædito corde nimis.  
Sic fuit in fatis, fuit hæc diuina uoluntas,  
Parca tuam rapuit non prohibente DEO.  
Sed Deus his motus lachrymis reflexit amarant  
Conditionem animo commiserante tuam.  
Quod, mihi pauca loqui liceat si, carmine filo  
Contextum tenui commemorare iuuat.  
Qui Deus ex nihilo conuexi climata cœli,  
Ac uerbo mundi grande creauit opus.  
Condidit ex lutea massa qui primus Adamum.  
Vidit & ut sociam posset habere parem.  
Nempe refrigerio dulci ne solus ab omni  
Desertus, terras uiseret ipse nouas.  
E lateris costa exerta stertentis Adami  
Dum singit Nympham damnaq; carne leuat.  
Hic Deus ac hodiè medio in discriminme uitæ  
Fidentes nescit deseruisse sibi.  
Cuilibet ille suam sociam nunc iungit amatam,  
Toliat ut ex animo tædia dura uiro

A patre

A patre nummato benē linquitur æris aceruuſ  
Magnus, & heredi predia culta, domus :  
Aſt nulli niſi dante Deo coniungitur uxor  
Prudens, cœleſti hæc munere ſola uenit.  
Nec caſu cuiuſi datur hæc ſed iuſſa ſequenti  
Summa Dei, fidei quem pia cura tenet.  
Taliſ virgo tuis & moribus apta Magiſter  
Nunc thalami ſcandit fulera pudica tui.  
Ergo tui luctus queruli iam triftia deme  
Signa, uir Aonij fama decuſiq; chorū  
Satq; genas lachrymis, ſat fletibus ora rigasti,  
Nunc decet hiſ lachrymis imposuſſe uices  
Namq; Deus luctus meliori forte leuauit,  
Intrat dum thalamos caſta Maria tuos.  
Hev CLaras LVCes ter Aprilis habebat Ut oCto,  
Margaris avfertVr ſponſa IaCobe tibi.  
Margaris ab mortis liquefacta immixta aceto  
Concidit, in primo flore puella iacet.  
Concidit ab decimum nonum cum dimidiatum  
Annum finiſſet Margarit illa pia.  
Octobris ſvrgit LVX aſt Vbi qVina ter alba  
QVa regit eōs ſcorpliſ asper eqVos:  
IVngltVr en IaCobe tibi ſato pla VIrgo,  
NoMina qVa Christi grata parentis habet.  
Cum tibi Margaridem defunctam propter amaror  
Triftis torqueret pectus ubiq; tuum.  
Dulcis amaricies tibi præſto eſt ecce Maria  
Munere diuino confocianda toro.  
Dulcis amaricies ut ſit tibi ſoedere leſti  
Caſti, coniungit prouida cura Dei.  
Et iucunda tuo poſthac ſolatia mæſto  
Præbeat ut cordi, nomen & omen habet.  
Sic ſolet omnipotens pia iuſſa beare colementem  
Intret ut illius nupta petita torum.  
Conuenit ergo nouis triftiſ deponere frontem  
Sponſis, ac lœta degere mente dies.  
Nomen & omen enim fauſtum qui contulit, ille  
Conferet in ueſtos omnia fauſta toros

In Mara fontes uelut hic dulcauit amaros,  
Israel posset queis reueare sitim.  
Sic præsens aderit uobis sine fine, labores  
Iucundos reddet, coniugiumq; bonum.  
Concordes animis Pylij uiuat is ad annos  
Turturis in morem, pax dabit alma DEI.  
Speratos thalami fructus dabit, ut quoq; uestra  
Sit sine lite domus, nec sine prole torus.  
Gratulor ex animo sponsis hæc, & mea ne sint  
Irrita uota Deum supplice uoce precor.

## ALIVD.

**A**gmine Pieridum comitatus nuper Apollo  
Visurus caros uarie regionis alumnos  
Liquerat Aonios properato tramite colles,  
Teutonis & magni casu delatus ad oras,  
Leucorim Albiacis illustrem uiderat aruis,  
Viderat & uitrei cultissima littora Salæ,  
Quæq; potens latè Saxo, indigenæq; Thuringi  
Arua tenent, aruis & condita mœnia seruant.  
Francica restabat tellus adeunda per alti  
Culmina Thyrigetum nemoris, qua Smalcaldas undas  
Colligit & rapido transit sua mœnia cursu.  
Huc ubi peruentum, radiantis lumina uultus  
Dirigit ad rigido stridentes ære cœuernas.  
Miratusq; uiros Aetnae more cohortis  
Ictibus alternis ignitas tundere massas,  
Constitit atq; oculis feruentibus omnia circums  
Lustrauit, si quos forsitan reperiret alumnos.  
Lustrauit reperiitq; uirum pietate celebri,  
Doctrina & sanctis cultores moribus inter  
Pierios primas summa cum laude tenentem,  
Nomine Iacobum Simonis, clara periti  
Cui titulos merito tribuere Lycea Magistri.  
Scilicet is denso circundatus agmine stabat,  
Et teneram fida tractabat mente iuuentam.  
Asfittit & limis tractantem inspexit ocellis

Conuer-

Conuersusq; Deas astantes talibus infit:  
Ergone tot nostri causa tolerare labores  
Hunc decuit frustra, nec erit mea grata uicissim  
Dextera cultori, ducetq; inglorius eum?  
Non ita, non pietas, non rerum plurimus usus,  
Non patitur uirtus, & pectora nescia falsi:  
Nec mea maiestas toto notissima celo  
Instituīaq; decus solitum sinit ista. Quid ergo?  
Nonne sat est illum titulis & honoribus olim  
Ornasse & doctos inter posuisse magistros?  
Nil minus: at munus decies præstantius instat.  
Quæritis? astriferi summus moderator Olympi  
Ingenuam clara natam de stirpe puellam  
Connubio iunget stabili thalamoq; locabit,  
Illa nempe die fallax qua portitor Helles  
Mergitur æquoreis post tertia sidera lymphis.  
Dum loquimur properante dies pede transit, & ipsum  
Tempus adeſt denſo iuuenum quo cinctus uterq;  
Agnine, diuorum sacras statuetur ad aras,  
Pendula iam dudum sonuerunt æra nouæq;  
Tympana latitiae reboantia signa dederunt.  
Vos igitur celeres Hymeneia festa Camœnæ  
Mox agitate, uias & suaveolentibus herbis  
Spargite purpureis redimitæ tempora fertis,  
Mox & io resonate, nouis date florida sponsis  
Munera, que nostro sunt plurima ſemper in horto.  
Dixerat: at dicto ciuius per amena uagatae  
Prata Deæ, celeri fragrantes pollice flores  
Quæq; metit, studijsq; operi certantibus instant.  
Mox redeunt plenis & roſcida dona canistris  
Expediunt, aptos non frustra condita in uetus,  
Certatimq; nouis inſlexo poplite sponsis  
Dona ferunt, tali ſerie & gratantur honorem:

C A L L I O P E B A C C A R.

Prima ego Calliope iusto feror ordine, uocis  
Me decor iſthoc nomine donat.  
Per uarias docui primò ſignare figuræ  
Verba, ſonosq; inſcribere libris.

Hinc me perpetuo uenerantur honore uetus.  
Laude pia memorantq; poëta.  
Liuida crescentem temerè me sepe momordit  
Lingua, nouoq; inuidit honori,  
Sed uiridi teneram defendi baccare frontem  
Nec nocuit mibi triste uenenum.  
Conuenit inde nouos donari baccare sponsos,  
Ne liuor crescentibus obstet.  
Vos igitur placida donaria sumite mente  
Hæc, nostri memoresq; tenete.  
Sic liuore torus uester sine fine carebit,  
Et multo crescat honore.

#### CLIO MYRTVM.

Clio ego Calliopen sequor, hæc mibi nomina fecit  
Gloria, de myrti germine dona fero.  
Quæris cur alijs neglectis floribus una  
Cesserit in partes myrtus odora meas?  
Myrtus sacra Dea Paphiæ casti q; caloris  
Indicium est, sponsis conuenit inde nouis.  
Munere sic tenui non contempnenda monemus,  
Scilicet ut sponsos mutuus urat amor.  
Vrat amor firmo iungens duo pectora nexus  
Condidit Aethereus talia uincit Deus.  
Iam qua nos dedimus uos mente capessite myrtum  
Pectora uestra pius sic quoq; iungat amor.

#### ERATO TEVCRION.

Exultans Erato tercia sum, mibi  
Nomen conueniens cœpit amoribus.  
Alterno numeros prima feror lyræ  
Expressisse pedum sono.  
Saltandi q; modos se mihi ceteræ  
Debere ingenuè dicere sustinent.  
Hinc me perpetuis effero gaudijs  
Nec curas moror anxiæ.  
Quod Teucri dedimus germine floridum  
Munus (crede mibi) non temerario

Aufis

Ausu nec stolido fecimus impetu,  
Ipsi causa subest rei.  
Oppressos uarijs, cura, negotijs  
Splenis sēp̄ solet uiscere turgido,  
Mordere & lateris pungere morbias  
Partes tristifica lue :  
Admotum lateri Teucrion affolet  
Ictus ē tumido pellere uiscere.  
Sponsis inde damus munera Teucrion,  
Hortamurq; fideliter :  
Ne rebus uarijs se temere ingerant,  
Et uitæ subeant tanta pericula,  
Sed curis hilarem lœtitiam suls  
Altera uice misceant.  
Quare si qua tui tædia muneris  
Te sponsum capient, mox Mariam tuo  
Dilectam lateri suauiter admoue  
Donati uice Teucrij :  
Et te sponsa rei cura domesticæ  
Cum tristem dederit, mox adhibe tuo  
Iacobum lateri tristitiae locus  
Toruæ non erit amplius.  
Sic nostri memores uiuite Teucrij  
Crescentes opibus, prole & honoribus  
Viuendoq; senem uincite Nestora  
Fausto quòd precor omine.

THALIA AMARANTHVM.

Me quarto numerant loco sorores,  
Cui nomen uiridis color Thaliæ  
Fecit, perpetua suum quod artes  
Cultorem soleant beare fama.  
Hinc nobis amaranthus inter horti  
Flores Aonij putatur esse  
Concinnus, sine namq; sine floret.  
Hunc uobis damus & precamur usq;

Ut felix thalamus uigore uester  
Optato, uice floreat perenni.

MELPOMENE RVTAM.

Quinto Melpomenen me referunt loco,  
Cantatrix latio nomine nuncupor.  
Instans cum series munera iussit  
Nunc me ferre, breui qualia conferam  
Narrabo : est uiridis ruta, quid hanc feram  
Miraris ? tenera est res amor, at ferox  
Illi saepè parat lingua periculum,  
Mentes felle linens uipereo pias.  
Ergo coniugibus ruta potens nouis  
Detur, qua ualeat toxica pellere,  
Ne pessum rapiant nobile uinculum.  
Hanc quæso placida fronte capessite,  
Sic mordax thalami liuor amabile  
Vestri non poterit lädere uinculum.

TERPSICHORE HYACINTHVM.

Sede quæ sexta numerata tandem  
Subsequor, me Terpsichoren sorores  
Dicitant, quod sim cytharæ repertrix

Prima sonora.

Causa quæ flores Hyacinthe sponsi  
Me tuos iusit dare, non ruina  
De tua uenit, Telamonis aut de

Sanguine nati :

Muneris nostri sed ut est sonoris  
Hospites letos fidibus dedisse,  
Sic nouos dono cupimus maritos

Reddere letos.

Iam tuo, festis quoniam diebus  
Aptior nullus color est, quis ultrà  
Te nouis dono neget esse dandum

Rite maritis :

Sufficit, lati manibus receptos

Hos



Hos modò flores teneant amentq;  
Læta sic ducant precor ut iugalis  
Tempora uitæ.

EUTERPE AMARA  
CVM.

Septenus Euterpen locus me sustinet  
Stridentis author tibiæ  
Feror suis, nomen hinc amicius  
Ceßit mihi præ ceteris.  
Mirare cur sponsis nouis amarcum  
Dono dedisse legerim?  
Me nomen inuentumq; iuſſit hoc meum:  
Quando leuis ceu tibia  
Inflata cor dulci ferit modulamine  
Mirkq; compleat gaudijs:  
Odore sic fragrante cor amaracus  
Ferit mouetq; nobilis.  
Exile sic sponsos docet munuscum  
Vt alter alterum sonis  
Mouentibus cor usq; suauioribus,  
Crebrisq; tractet osculis.  
Amore delectemq; sese mutuo,  
Ne sancta rumpant uimcula.

POLYHYMNIA HES  
DERAM.

Euterpen Polyhymnid  
Sector, multi iugis nomina cantici  
Donarunt reliquæ mihi  
Diue, meq; ferunt eloquij Deam.  
Quod si quis rogat in meas  
Cur partes hederæ germina uenerint,  
Causa est, perpetuo comas  
Frondentes hederæ tollere gestiunt  
Leto uertice in Aethera,  
Fœcundæq; gerunt uellera fructibus  
Intermixta scatentibus.

Hinc



Hinc antiqua, viros fortibus inclitos  
Factis, secula, præmijs  
Ornatura, boni frondibus omnis  
Cinxerunt hederæ comas.  
Iam nostri ratio consilij patet,  
Nec uerbis eget amplius:  
Vos ergo placidis roscida mentibus  
Sponsi tollite munera,  
Et nostræ memores este hederæ, torus  
Sic uester uiridantia  
Traducat, placido, secula, pectore:  
Clarus semper honoribus,  
Fœcundusq; pia prole repullulet.

VRANIE HELIOTRO<sup>PS</sup>  
PIVM.

Me locus Vranien tenet ultimus, astra polisq;  
Prima notasse feror:  
Artificijs uias radio pinxitse diurni  
Sideris ambiguas.  
Hinc reliquæ cœlo confinia nomina Diue  
Attribuere mihi.  
Et mea pierij coluerunt numina uates  
Grataq; posteritas.  
Sic, quia tantus bonus solis mihi uenit ab astro  
Sidereisq; polis:  
Sidera quæ mecum spectat, placet unica solis  
Nobilis herba mihi.  
Hac etiam teneros, sine nec ratione, maritos  
Condecorasse iuuat.  
Multæ subest illi doctrina, salubris ad altos  
Qui uolet ire polos.  
Nam uelut hæc phœbi solius lumina spectat  
Flore suoq; colit:  
Sic pia sint solum spectantia pectora Christum,  
Flore precumq; colant.  
Vtq; per obiectas nebulas ea lumine seruat  
Solis ubiq; uias:

Sic



Sic mala, Christiadum mens, inter millia Christum  
Spectet ubiq; fide.  
Post modò sub noctem, cum plurima stella micantes  
Ornat ubiq; polos :  
Despicit hæc omnes ex tristia lumina, solis  
Deicxit in latebras :  
Sic quoq; delicijs pia mens abducta caducis  
Seruiat usq; Deo.  
Deniq; mane nouo, soboles Hyperionis alii  
Sol ubi surgit aquis :  
Et sua iam crocea signat uestigia nube,  
Quà redditurus adest :  
Protinus herba locum nutu designat, odorat  
Pandit eiq; comas :  
Huius ita in uitæ tenebris, quæ plurima mundi  
Signa ruentis habent.  
Institue solem te Christe requirere uotis  
Ore pioq; decet.  
Hac ratione noui mea dona capessite sponsi, &  
Mente tenete pia :  
Cunctipotente suo sic qui regit Aethera nutu  
Vos regat ille Deus :  
Donec in hac, uitam, tenebrofa ualle, iugalem  
Excoluisse licet.  
Ac tandem placidè post ultima fata receptos  
Siftat in arce poli.

Dixerat Uranie, celso stans aggere Phœbus  
Dicta probat, simul & nutanti uertice uotis  
Annuit, inde Deas retrò uocat ore palantes,  
Mox circumfusas affatus talibus infit :  
Condite nunc calamos teneræ mea corcula Nymphæ  
Condite sat tæde fuit indulisse iugali  
Pegasidas, castis & uerba precantia sponsis  
Accimuisse : sibi iam dudum noster alumnus  
Quam petijt, sponsa potitur, fruiturq; potita.  
Pergite uos alio celeri pede, cetera præstet  
More suo geniali Hymen cui talia curæ.

sic

Sic ait & sumtis liquidum simul aera pennis  
Diffidit Aonidum subito comitante caterua.  
At tu pierae decus o praelustre coronae  
Sponse, rudi cecinit tibi quae, mea, uoce Thalia,  
Consule queso boni, nostriq; ea signa fauoris  
Ceu sunt, esse puta, fidoq; amplectere sponsam  
Pectore, tu parili laudatum sponsa maritum  
Igne foue & reuerenter habe, iunctimq; timete  
Mente Deum pura, precibusq; requirite, uestri  
Sic erit ipse tori rector, nutuq; probabit  
Quae modò laurigeræ fecerunt uota sorores.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1775706753/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775706753/phys_0016)

Sic ait & sumtis liquidum simul aer pennis  
Diffidit Aonidum subito comitante caterua.  
At tu pierae decus o prelustre coronae  
Sponse, rudi cecinit tibi que, mea, uoce Thalia,  
Consule quo so boni, nostriq; ea signa fauoris  
Ceu sunt, esse puta, fidoq; amplectere sponsam  
Pectore, tu parili laudatum sponsa maritum  
Igne soue & reuerenter habe, iunctimq; timente  
Mente Deum pura, precibusq; requirite, uestri  
Sic erit ipse tori rector, nutuq; probabit  
Quæ modò laurigeræ fecerunt uota sorores.

